

hoc loco Psalmo graphus: & huc digitum intendit Christus quando  
Luc. 8. v. 14. Eos comparat semini cadenti inter spinas: Nam à soli-  
citudinibus & divitiis euntes suffocantur & fructum non ferunt.

## Locus secundus.

§. 32. Quod verò premium eorum est? Pavor sive pavere  
v. 5. ut vel ad folii strepitum cohorrescant mordente illos prava con-  
scientia, & licet Reges Tyrannique legibus atque judiciis non tenean-  
tur, natura tamē lege, inquit Cicero i. & 2. de finibus & in orat.  
pro Roscio Amarin, & cōscientia judicio torquentur & vexantur; &  
in Pisonem & pro Roscio ait: Impiorum furias, flammās, fa-  
ces, fraudem ipsorum esse, facinus, scelus, audaciam, errorem, malas co-  
gitationes, amentias animi: Tuta, inquit Seneca Epist. 97. sce-  
lera, securā esse non possunt: ipsas nequitia tenebras timet, proprium  
est nocentium trepidare, & addit testimonium Epicuri, qui dicit, ob  
mala facinora conscientiam flagellari & plurimum illis tormentorum  
esse, eò quod perpetuò illa sollicitudo urget ac verberat, quod sponsori-  
bus securitatis suae non potest evadere, vide Macrobius de Somno Sci-  
pion: cap. 10. Juvenal. Satyr. 13. & sicut caritas foras mittit timo-  
rem, 1. Iohan. 4. vers. 18. ita omnis nequitia timida est, Sapient.  
47. v. 10. 11. & sicut ἀγαθὸς bonus est & strenuus, ita κακὸς malus est &  
timidus. Perversa conscientia, inquit Gregorius in Moralibus,  
testem suae nequitiae intus timorem habet.

--- --- prima haec est ultio, quod se  
Iudice nemo nocens absolvitur

Juvenal: Satyr. 13. Nihil n. est timor nisi proditio cogitationis auxili-  
orum, Sapient. 17. vers. 11. Qui verò in DEUM sperat, non timet,  
Psalms. 55. v. 12, non infirmatur, Ps. 25. v. 1, quod & hic significat  
Propheta dum dicit DEUM spem esse inopis.

C

§. 33.